

Locus.

Provenit non infrequens ad ligna exsiccata faginea; passim quoque ad truncos Sambuci nigrae; quae vero varietas major videtur.

Descriptio.

Sphaerulae minutae, juniores granulaeformes, dein ovatae, colore fere Fragariae immutabili, superficie laevi. Ostiolum papillaeforme.

Stroma s. Receptaculum, cui insident sphaerulae, dimidiam lineam crassae, colore dilutiore flavescente.

Observatio.

Non confundi debet cum sequente specie.

Sphaeria decolorans: cespitosa cinnabarina expallescens, sphaerulis globosis tuberculoso-rugosis. Disp. meth. fung. p. 3.

Icon.

Tab. XII. Fig. 2 Sphaeria coccinea cespitose e cortice caudicis fagi erumpens, magnitudine nativa. Ad a. cespitulus seorsim mediocriter auctus pictus est. Ejusmodi cespitulus ad b. augmento majori et perpendiculariter dissectus, quo situs sphaerularum, una cum receptaculo, cui insident, videri possint. Ad lit c. duae sphaerulae seorsim sunt propositae.

54. AGARICUS LEPTOCEPHALUS.**Differentia.**

A. totus cinereus, pileo membranaceo tenuissimo subumbonato sulcato, margine repando, lamellis crassiusculis distinctis emarginato adnatis, stipite cavo glabro.

Locus.

Crescit rarissime ad truncos, in sylvis quercinis.

Descriptio.

Stipes unc. 1 et ultra longus, $1\frac{1}{2}$ -2 lin. crassus, nullas radículas emittit.

Lamellae duas fere lineas latae, nitidae, obscure cinerae, margine albicantes.

Pileus unc. 1 latus, expansus, plano-convexus, subflexuosus, sulcis latis distinctus, opacus, substantia tenuissimus, fragilis, pellucidus, e longinquo subtomentosus apparet, sed glaber est.

Sapor ingratus. Odor fere spiritus nitri.

Icon.

In Tab. XII, Fig. 4 haec species una cum pilei parte resupinata adumbrata est.

55. SPHAERIA TRISTIS.

Differentia.

Sph. simplex conferta atra crustaeformis, sphaerulis subglobosis ut plurimum collapsis, tomento strigoso insidentibus.

Locus.

Pulchella haec species ad ramos exsiccatos fagineos rarius occurrit.